



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **CARAGUATATUBENSIS*** IN BRASILIA NOVA
CONDITUR DIOECESIS CARAGUATATUBENSIS Ad aptius consulendum spirituali bono atque regimini Christifidelium,
Venerabilis Frater David Picão, sacrorum Antistes Santosensis, audita profecto Conferentia episcopali Brasiliensi, ab hac
Apostolica Sede petivit ut, seiuncto territorio a circumscriptione ecclesiastica sua, nova dioecesis conderetur. Nos vero,
habito faventi voto Venerabilis Fratris Alfii Rapisarda, Archiepiscopi titulo Cannensis et in Brasilia Apostolici Nuntii, de
consilio Congregationis pro Episcopis admotae postulationi libenter concedendum esse putavimus. Summa igitur Nostra
potestate sequentia decernimus. A Santosensi dioecesi separamus integrum territorium, sicut in praesens civili lege
circumscribitur, municipiorum quae patro sermone nuncupantur Caraguatatuba, Ilhabela, São Sebastião et Ubatuba;
atque ex ita distracto territorio novam constituimus dioecesim Caraguatubensem, quae iisdem limitabitur finibus, quibus
praedicta municipia, simul sumpta, prout in lege civili exstant, nunc terminantur. Sic conditae Ecclesiae sedem in urbe
Caraguatatuba ponimus, ibique extans templum, Divino Spiritui Sancto dicatum, ad gradum et dignitatem cathedralis
ecclesiae evehimus, mandantes ut in eo, ad normam iuris, Canonorum Capitulum instituatur. Praeterea dioecesim
Caraguatubensem suffraganeam facimus metropolitanae Sedi Sancti Pauli in Brasilia eiusque Episcopum metropolitico
iuri Archiepiscopi Sancti Pauli in Brasilia pro tempore subicimus. Cetera vero secundum canonicas leges temperentur.
Quae statuimus, perficienda committimus memorato Apostolico Nuntio, vel, absente eo, illi, qui curat negotia Sanctae
Sedis in Brasilia, eisdem tribuentes necessarias et oportunas facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur,
quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad Congregationem pro Episcopis authenticum
exemplar actus peractae executionis, cum primum fas erit, remittendi. Hanc denique Constitutionem nostram nunc et in
posteriorum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die*
tertio mensis Martii, anno Domini millesimo nongentesimo nonagesimo nono, Pontificatus nostri vicesimo primo.
ANGELUS card. SODANO LUCAS card. MORFIRA NFVFS

Secretarius Status

Congr. pro Episcop. Praef.

Eugenius Sevi. *Protonot. Apost.*

Marcellus Rossetti. *Protonot.*

Apost.

*A.A.S., vol. XCI (1999), n. 6, pp. 399-490 © Copyright 1999 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana